



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Quomodo differant credere Deo, credere Deum, & credere in Deum : vbi
etiam de fide miraculorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

citam fidem habere, & ideo magis vna, & similis videtur Hieronymo fuisse fides in Paulo & Tito.

Loquendo ergo de possibili non repugnasset, fidem habitualem constari ex multis habitibus infusis partialibus: sicut nec est contra repugnaret dari vnum habitum infusum simplicem in voluntate ad omnes actus supernaturales voluntatis, & vnum in intellectu ad omnes actus supernaturales intellectus, imò & vnum fortasse solum in anima, qui idem deseruiret ad omnes actus supernaturales intellectus, & voluntatis, sicut ad omnes naturales deseruit eadem anima. Cum enim hi habitus infusi dentur ad complendam, & eleuandam animam in ordine ad actus supernaturales; potuit hæc eleuatio à Deo fieri per plura, vel pauciora principia supernaturalia.

De facto autem, cur non ponamus vnicum habitum infusum ad omnes actus, neque etiam vnum ad omnes actus voluntatis, & cur ponamus tot, & non pauciores, nec plures dixi *disp. 1. sect. 11.* vbi aduertimus nos non posse assignare rationem aliquam à priori, aut regulam desumptam ab exigentia ordinis supernaturalis: posse tamen nos manduci à verbis Apostoli 1. ad Corinth. 13. quibus dixit. *Nunc manent fides, spes, & charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas;* ex quibus colligimus, de facto hos tres habitus ad minus esse distinctos inter se: Nam licet potuisset Deus infundere vnum solum habitum ad omnes hos actus: de facto tamen voluit esse distinctos propter separabilitatem, ut scilicet possent remanere in peccatore fides, & spes sine charitate, & aliquando etiam fides sine spe. Ex hoc autem rursus colligimus, alios habitus infusos, inter quorum obiecta inueniatur talis, & tanta distinctio, qualis & quanta inuenitur inter obiecta horum trium, esse etiam inter se distinctos, ut seruetur eadem proportio inter omnes habitus. Supposito enim, quod Deus voluit dare plures habitus distinctos, debuit eligere eum ordinem supernaturalem, qui exigeret habitus distinctos iuxta talem, & tantam distinctionem obiectorum, atque adeo inter omnes alios habitus debet seruari eadem proportio. Vbi cumque ergo inuenitur eadem distinctio inter actus quanta inter actus harum trium virtutum, ponimus etiam habitus infusos distinctos: nec enim sufficit, actus hos, & illos pertinere ad voluntatem, ut dicamus pertinere ad eundem habitum: nam actus etiam charitatis & spei utrique pertinent ad voluntatem, & tamen ad illos dantur habitus diuersi. Aliunde vero non subdiuidimus singulas virtutes in plures, & plures habitus infusos: tum quia habitus infusi non acquiruntur per suos actus, sed dantur omnes simul ab initio cum ipsa gratia: oporteret autem infundi simul penè innumeros, si multiplicarentur, sicut possunt multiplicari habitus acquisiti per varias diuisiones, & subdiuisiones obiectorum, & motuum: quare debuerunt actus omnes reduci ad certas classes, & ad certa capita principalia, ut totidem habitus infusi darentur: tum etiam, quia verba Pauli solum probant distinctionem inter illos tres habitus, & consequenter distinctionem inter alios, inter quorum actus æqualis diuersitas inueniatur: non verò inter alios. Cum ergo aliunde non sint multiplicanda entia sine necessitate, non habemus fundamentum ad ponendam maiorem habituum infusorum multitu-

dinem, quam quæ necessaria fuerit ad seruandam vniformitatem inter illos, ut omnes alij distinguantur inter se, posita æquali diuersitate inter eorum actus, qualis est inter actus horum trium, quos Paulus numerauit, ut distinctos, quæ omnia diximus etiam dicta sectione 11. & olim in manuscriptis huius materie; & postea amplexus est, & exornauit Hurtado loco citato.

SECTIO II.

Quomodo differant, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, vbi etiam de fide miraculorum.

Hæc est alia diuisio fidei, de qua S. Thom. *quest. 2. artic. 2.* vbi aduertit, his vocibus non semper significari diuersos actus, sed diuersas connotationes, quas idem actus habere potest: nam *credere Deo*, significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum formale, propter quod credimus, *credere Deum* significat habitudinem ad Deum, tanquam ad obiectum materiale creditum, vbi obiter notandum est, litteram S. Thomæ esse mendosam transmutatis particulis *Deo, & Deum*, vna pro alia, & de conuerso quæ transmutatio reddit litteram difficilem, & contrariam menti Sancti Thomæ, sed est manifestus error Scriptorum, ut ex originali Tarracoeniensi obseruauit Magister Franciscus Garzia in emendatione errorum in libris S. Thomæ. Denique *credere in Deum* significat habitudinem ad Deum tanquam ad vltimum finem, quam differentiam sumpsit ex Augustino *serm. 181. de tempore, & in tract. 29. in Ioannem & serm. 61. de verbis Domini.*

Duplex dubium occurrit circa hanc diuisionem: vtrumque tamen est mere de nomine. Primum an *credere in Deum* dicantur soli iusti, qui Deum diligunt, an etiam peccatores, qui vtrumque pie erga Deum afficiuntur ut credant. Augustinus *vbi supra* videtur negare peccatores credere in Deum. *Quid est, inquit, credere in eum? credendo amare, credendo in eum ire, &c.* iuxta quem sensum videtur etiam loqui S. Thomas, & in eodem sensu dixit Durand. in 3. d. 23. *questione 7. num. 6* per *credere in Deum* significari duos actus, scilicet actum fidei, & actum charitatis.

Cæterum, licet hic modus loquendi propter auctoritatem Augustini, admittendus sit, oppositus tamen non videtur alienus à communi sensu fidelium: qui omnes etiam, dum peccatores sunt fideliter profitentur, se credere in Deum; & hoc quidem non solum dicunt in persona Ecclesiæ, ut insinuat S. Thomas *quest. precedenti art. 9. ad 3.* sed etiam in propria persona, in quo etiam sensu idem Augustinus *lib. de fide, & operib. cap. 14. & ultimo, & Bernard. serm. 24. in Cantica* peccatori tribuunt fidem in Deum: qui modus loquenti sumitur ex scriptura Ioan. 12. vbi dicitur multos ex principibus credidisse in Christum, qui tamen propter metum culpabilem non ausi sunt eum exterius confiteri; & Chrysost. hom. 52. in Matth. *nihil prodest, inquit, si credas in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris*, vbi supponit peccatores etiam credere in Deum.

Alterum

17
His vocibus non semper significatur diuersi actus, sed diuersæ connotationes quas idem actus habere potest.

18
An credere in Deum dicantur soli iusti.

19

20
An solum in
Deum crede-
re dicatur,
an etiam in
Ecclesiam, vel
Sanctos.

Alterum dubium est, an solum in Deum credere dicatur, an etiam in Ecclesiam, vel Sanctos? quæ etiam est quæstio de nomine; nam si credere in aliquem significat relationem aliquam in illum tanquam in vltimum finem: certum est, non posse credi nisi in solum Deum. Et in hoc sensu in Concilio Calcedon. art. 16. Probat, Spiritum sanctum esse Deum, quia in symbolo dicitur. *Credo in Spiritum sanctum*, quod de nulla creatura diceretur, & in eodem sensu S. Thomas *quæst. præcedenti*, art. 9. ad 5. docet, non esse legendum in symbolo *Credo in sanctam Ecclesiam*, sed *credo sanctam Ecclesiam*. Quo etiam modo legunt Epiph. *serm. 1. & 2. de symbol.* Rufinus, Chrysost. & alij scribentes de symbolo. Ceterum non possumus negare, quin aliquando *credere in aliquem* non vsurpetur cum tanto rigore dignitatis, sed significando solum habitudinem ad obiectum creditum, vel ad personam cui creditur, sic habetur in epist. ad Philem. *Gratias ago Deo meo audiens fidem, quam habes in Iesum Christum, & in Sanctos eius.* Exod. 14. *Credidit populus Deo, & Moysi*: in Hebræo habetur *in Deum, & in Moysen*; quod notauit Hieron. in epist. ad Philem. *Vna atque eadem*, inquit, *credulitas in Deum fertur, & in Moysen, ut populus, qui credebatur in Deum, aequè crederet in seruum eius.* Idem Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, Epiph. in Anchorato, & Cyrillus Hierosolymitanus *Cateches. 18.* eodem modo loquuntur, & habetur etiam ex Augustino *cap. 1. de consecrat. dist. 4.* Sed ut dixi, hæc est merè quæstio de nomine, & locus ille Augustini in Decreto Gregoriano correctus est, & Marianus Victor correxit etiam locum Hieronymi in dialogo contra Luciferianos ex vetustis Codicibus.

21

An infideles
possint cognoscere
verum Deum.

Tertia difficultas magis de re videtur esse, quam tangit S. Doctor in præsent. art. 2. ad 3. infideles non credere Deum, quia in simplicibus, vel totum cognoscitur, vel totum ignoratur: Quare cum infideles non cognoscant Deum sub iis conditionibus, quas fides adstruit, non credunt verum Deum, sed falsum; circa quam doctrinam potest esse tertia quæstio, vtrum infidelis possit cognoscere verum Deum? in quo sanè nulla videretur esse ratio dubitandi præter auctoritatem sancti Thomæ, præsertim cum Paulus *Ad Rom. 1.* expressè dicat, philosophos gentiles verè cognouisse Deum; & tertium sit, naturali ratione posse Dei vnus & veri existentiam inuestigare, & demonstrari.

Deinde ratio sancti Thomæ ad summum probat, eum qui errat circa aliquod prædicatum quidditatum Dei non cognoscere verum Deum: non autem probat de infideli, qui erraret solum circa aliqua opera extrinseca Dei, vt si negaret Incarnationem, vel efficaciam Sacramentorum: cur iste non posset adhuc cognoscere verum Deum? Nec satisfacies, si dicas S. Thomam solum agere de prioribus infidelibus errantibus circa essentialia Dei, & non de posterioribus; nam si S. Thomas de illis solum loqueretur planè non responderet sufficienter ad tertium argumentum propositum; quod erat huiusmodi: *id quod conuenit infidelibus, non potest poni inter fidei actus; sed credere Deum esse, conuenit etiam infidelibus, ergo non debet poni inter fidei actus.* Quod argumentum procedit vniuersaliter de omnibus infidelibus, vt constat, ergo dum respondet S. Doctor, debet negare vniuersaliter de omnibus,

quod cognoscant Deum: alioquin argumentum non soluetur adequate, sed solum ex parte.

Tertio, si ratio S. Thomæ aliquid probat, probaret etiam multos ex fidelibus non cognoscere verum Deum. Quis enim est Theologus, qui non habeat aliquam falsam opinionem de Deo. Hic ponit in Deo subsistentiam absolutam, ille negat: alius ponit intrinsecum ordinem ad creaturas in particulari, alius negat talem ordinem, & sic de alijs, ergo quælibet opinio falsa impediret veri Dei cognitionem, quia in simplicibus, vel totum scitur, vel totum ignoratur: consequens autem est valde absurdum: alioquin non haberemus veros fidei actus circa alios articulos, & per consequens nec actus charitatis, non enim diligeremus verum Deum, sed fictum, fateri ergo debemus etiam infidelibus, qui errant in vno Dei attributo, posse cognoscere verum Deum.

Quarto, quia infidelis, priusquam conuertatur ad fidem, & credat, habet iudicium euidens credibilitatis dictans oportere credere Deo hæc mysteria, vt suprà vidimus; & adhuc stante illo iudicio, potest non credere, & manere infidelis; ergo in statu infidelitatis cognoscit verum Deum cui iudicat debere credi.

Vltimo, quia si infidelis, neque ex parte subiecti, neque ex parte prædicati concipit verum Deum, ergo hæc propositiones in infideli non sunt falsæ: *Deus non existit. Deus non est trinus. Deus non est homo.* Probatur Consequentia, quia per te ly *Deus* positus ex parte subiecti non est conceptus veri Dei, sed alterius Dei ficti: sed de Deo ficto verè negatur existentia, Trinitas, Incarnatio, &c. Ergo illæ omnes propositiones erunt veræ, quibus ea negantur ab infideli.

Nec obstat ratio adducta à S. Thomæ, quod in simplicibus vel totum cognoscitur, vel totum ignoratur. Respondeo enim in huiusmodi propositionibus, quibus siue ex errore circa fidem, siue ex falsa opinione, prædicamus de Deo aliquid falsum attributum, vt si dicas *Deus est causanecessarius*; *Deus est subsistens absolutum*, aliud esse quod concipitur ex parte subiecti, & aliud quod concipitur ex parte prædicati; nam ex parte subiecti concipitur verus Deus; imò idem est falsa prædicatio, quia de vero Deo enunciat prædicatum, quod illi à parte rei non competit. Itaque ex parte subiecti ponitur conceptus confusus illius entitatis, quæ est Deus, non explicando per illum conceptum, an habeat, vel non habeat attributum, quod ponitur ex parte prædicati, sed solum concipiendo totam illam entitatem explicite in ordine ad alia attributa, quæ re ipsa conueniunt Deo, vt esse summum bonum, primam causam, &c. Postea verò ex parte prædicati concipimus quoddam aggregatum ex illis perfectionibus, quas explicuimus ex parte obiecti, & illo attributo falso, quod Deo tribuimus, & tunc non concipimus Deum, sed quoddam ens rationis, & chimericum, quale non datur à parte rei. Ex quo fit, Catholicos etiam, qui habent falsam opinionem de aliquo Dei attributo, posse cognoscere Deum, & diligere verum Deum; quia non terminatur actus dilectionis ad Deum cognitum per conceptum illum explicitem falsi attributi, sed ad Deum cognitum per conceptum confusum, qui est verus Deus, licet confusè cognitus. Sicut etiam Sacerdos Theologus, qui ex priuata opinione existimat Corpus Christi non produci

produci per verba consecrationis; verè tamen consecrat, etiamsi illa opinio falsa esset; quia voluntas consecrandi non terminatur ad consecrationem cognitam per illam opinionem, sed ad consecrationem cognitam per conceptum confusum, qui terminatur ad veram consecrationem, non curando, an sit iuxta hanc, vel illam opinionem: & hæreticus etiam, qui ex errore censet per baptismum non mundari animam interna iustitia, sed solum imperatiuè, adhuc verè baptizat, & confert puero veram, & intrinsecam iustitiam, quia voluntas baptizandi terminatur non ad illum baptismum fictum, quem ipse opinatur, sed ad verum, quem per alium actum confusum cognoscit.

24 Dices: ergo, licet infideles falsò existiment Iouem esse verum Deum: adhuc cultus, quem exhibet, & dilectio eius quam elicit, terminabitur ad verum Deum: sicut terminatur ad verum Deum dilectio illius qui falsò existimat verum Deum esse subsistentem absolūtè. Respondeo, negando consequentiam, quia ille ethnicus non tam errat ex parte prædicati, quàm ex parte subiecti: nec ordinat suum amorem, vel cultum ad Deum confusè cognitum sed ad Iouem cognitum explicitè sub ratione Iouis: vel ad Deum cognitum cum aliqua imperfectione repugnante cum diuinitate, qualis erat communicatio in deitate cum aliis diis; quare ethnici nec colebant, nec diligebant verum Deum.

25 Quid ergo dicendum ad sanctum Thomam? Alii qui dicunt, S. Thomam agere de infidelibus solis, qui errabant in ipsa apprehensione Dei etiam confusa. Sed hanc solutionem reieciimus iam vt contrariam proposito sancti Thomæ. Ego sanè valde suspicor, sanctum Thomam non negare infidelibus cognitionem veri Dei in prædicto loco, sed solum fidem Dei: non enim dixit, infidelem non cognoscere, sed non credere Deum: sic enim ait: credere Deum non conuenit infidelibus sub ea ratione, qua ponitur actus fidei: non enim credunt Deum esse sub his conditionibus, quas fideles determinant, & ideo nec verè Deum credunt. Hæc S. Thomas quæ facile possunt explicari in hoc sensu, quod infidelis non cognoscat Deum tali cognitione, quæ dicatur actus credendi, quia hic actus habet plures conditiones, quarum qualibet deficiente, iam non est hic actus (cuius essentia est ordinatio simplex) sed alius circa idem obiectum materiale: sic possemus facile S. Thomam in nostrum sensum adducere. Scio tamen, eundem sanctum Doctorem *infra quest. 10. art. 3.* docere, quod per infidelitatem amittitur vera Dei cognitio; vbi non solum actum credendi, sed etiam cognitionem Dei excludit. Video auctoritatem sancti Thomæ, sed adhuc non credam ipsum negasse omnibus infidelibus veram Dei cognitionem contra testimonium Pauli, & rationes supra adductas; sed in posteriori loco videtur solum loqui in sensu formali, quod scilicet infidelis, quatenus infidelis non habet veram, sed falsam cognitionem Dei: non enim dicit, quod per peccatum infidelitatis amittat omnem aliam cognitionem Dei veri aliunde habitam, sed quod per ipsam infidelitatem acquirat falsam Dei cognitionem. Comparat quippe peccatum infidelitatis cum aliis peccatis contra virtutes morales, & dicit illud grauius esse, quia per illud magis elongat se homo à Deo, concipiendò loco Dei id, quod non est Deus. Verba S. Thomæ sunt hæc: *Respon-*

deo dicendum; quod omne peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vt supra dictum est. Vnde tanto aliquod peccatum est grauius quanto per ipsum homo à Deo separatur. Per infidelitatem autem maxime homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei; sed magis ab eo elongatur. Nec potest esse, quod quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de eo habet: quia id, quod ipse opinatur, non est Deus. Ex quibus verbis constat, S. Thomam solum agere de notitia Dei, quam peccatum ipsum infidelitatis auferit: quia comparat infidelitatem cum aliis peccatis contra virtutes morales: certum est autem, quod peccata alia contra iustitiam. v. g. non tollunt ab homine omnem verum actum iustitiæ: potest enim ille, qui iniuste retinet domum alienam, exercere adhuc actus iustitiæ circa alias materias soluendo stipendia famulis, & aliis creditoribus: solum ergo auferit restitutionem debitam in illa materia particulari, in qua peccatur. Comparatio ergo fit cum illo etiam, quod peccatum infidelitatis secum affert, non de iis, quæ aliunde habet subiectum, in quo aliunde potest esse vera Dei cognitio confusa, licet per infidelitatem non sit vera, sed falsa, & separans à Deo hominem etiam per cognitionem. Quem sensum formalem indicant ipsa verba S. Thomæ: *per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur*, scilicet per ipsummet actum infidelitatis, per quem habet falsam opinionem de Deo.

Solum posset esse difficultas circa illam doctrinam, quod non videatur esse vniuersalis, nec comprehendere omne peccatum infidelitatis: qui enim non errat circa attributa Dei, sed circa aliquam historiam à Deo reuelatam, nullam falsam cognitionem de Deo habet: non ergo probat ea ratio, quod omne peccatum infidelitatis sit grauius aliis peccatis contra virtutes morales. Ad hoc tamen responderi potest ex doctrina eiusdem S. Thomæ *infra quest. 20. art. 3. & quest. 34. art. 2.* vbi ideo dicit, infidelitatem esse contra Deum, secundum quod in se est, quia per infidelitatem homo non credit Dei veritatem: quod in hoc sensu intelligi debet, non quod infidelis semper dicat formaliter, in actu signato Deum non esse veracem, vel Deum falli; sed quia æquiuacenter, & in actu exercito id dicat, non credendo vera esse ea, quæ sufficienter ei proponuntur reuelata à Deo, vnde conuinci potest, quod Deus non habeat infallibilem veritatem, & in hoc solum sensu vult S. Thomas infidelitatem opponi veræ cognitioni Dei quatenus implicitè continet opinionem Dei carentis infallibili veritate.

27 Restat de fide miraculorum, an differat à fide dogmatica, quæ appellari solet historica, & fide promissionum. Et quidem certum videtur, fidem promissionum non differre à fide dogmatica, quia fides promissionum, nihil aliud est, quam credere Deum re ipsa præstiturum, quæ promissit: quare solum differt à fide historica, quod hæc credat præterita, illa vero futura, vtrique tamen propter Dei reuelationem. De prima scilicet de fide, quæ exigitur ad patranda miracula, est maior difficultas. Aliqui negant, hanc esse eandem fidem eum ea, quæ credit mysteria reuelata. Ita Abulen. *quest. 165. in Matth. Vazquez 1. 2. disp. 209. cap. 4. & disp. 210. cap. 4.* Atagonius in præ-

26

27
Fides miraculorum an differat à fide dogmatica

senti *quest. 1. art. 1.* Probarique potest, quia nostra fides solum credit, quæ sunt reuelata: non est autem à Deo reuelatum, hic, & nunc patrandum miraculum, ergo fides miraculi non est eadem, sed alia diuersa. Confirmatur, quia alioquin, qui non crederet hoc miraculum patrandum, esset infidelis, & amitteret habitum fidei; quod videtur contra communem fidelium sensum, quis enim dicat S. Petrum amisisse habitum fidei, cum cœpit pauere in aquis, aut Apostolos, quando timuerunt in nauicula? vtroque enim Christus exprobrauit defectum fidei, ergo illa fides, cuius defectum habuerunt Apostoli, non erat eadem cum fide, quæ credit mysteria, & quam Patres appellare solent *fidem dogmaticam*. Ita Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 5.* vbi ait: licet nomen fidei sit vnum, dupliciter tamen diuidi, quia vnum genus est, quod habet dogmaticam assensionem: aliud verò quod gratis datur, per quam non solum creduntur dogmata, verum etiam est super vires effectiua. Item Chrysostom. *hom. 29. in 1. ad Corinth.* supra illa verba *cap. 12. alius sermo, scientia*, alteri autem fides in eodem spiritu sic ait: fidem dico, non eam quæ dogmatica est, sed signorum, de qua dictum est: si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

28 Alij tamen dicunt hanc fidem miraculorum ad eundem habitum pertinere. Ita Sotus *lib. 2. de natura & gratia, cap. 6.* Bellar. *tom. ultimo controuersia 2. lib. 1. de iustificatione cap. 15.* & alij, quibus fauere videtur S. Thomas *infra quest. 178. art. 1. ad 5. & art. 2. ad 2.* Probatur primò, quia fides, de qua loquitur Paulus ad Hebr. 11. & quam dicit esse substantiam rerum sperandarum, &c. proculdubio est fides communis, & tamen per illam subdit patrari miracula: per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, &c. Secundò fides, quæ exigitur ad miracula, est fides omnino certa, & sine formidine; ideo comparatur à Christo grano sinapis, non propter paruitatem, sed propter fortitudinem, & acrimoniam, vt notauit Hieronym. *Matth. 17.* & colligitur ex Paulo *1. Corinth. 13.* vbi fidem hanc appellat fidem maximam, & perfectissimam: si habueris omnem fidem, ita vt montes transferas. Illa ergo fides certa est, vt constat ex *Matth. 21.* vbi de ea fide ait Christus, si habueritis fidem, & non hauseritis, &c. Fides autem certa debet inniti reuelatione diuina, ergo habet idem motiuium, quod fides dogmatica, ergo pertinet ad eundem habitum. Tertiò, fides miraculorum est, cui opponitur incredulitas, sic *Matth. 17.* dicitur Apostolos non eiecisse demonium ob incredulitatem: & *Deuter. 20.* ob defectum fidei ad educendam aquam Moyses & Aaron dicuntur non credidisse: & alibi sæpè: incredulitas autem est actus intellectus, ergo fides miraculorum est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei.

29 Propter hæc argumenta dicendum videtur, fidem miraculorum includere sanè aliquem assensum elicitem ex eodem fidei habitu, quo scilicet firmiter credatur potentia, & bonitas Dei, fidelitas item ad implendum quæ promissit. Addere tamen regulariter videtur supra hanc communem fidem assensum alium firmiter de opere futuro, genitum ex priori fidei assensu, & ex penetratione circumstantiarum, quo prudenter creditur, hic

& nunc non defuturum Deum; ex quo etiam in voluntate oritur fiducia, seu confidentia firma quam sæpè exigebat Christus ad miracula. Ex quo patet ad argumenta pro prima sententia. Non enim necesse est, ex defectu huius fidei amitti habitum fidei; tum quia habitus fidei non perditur propter dubitationem, & formidinem leuem & venialem, quam tamen excludit fides requisita ad miracula; & quam fortasse Petrus, & Apostoli habuerunt in prædictis calibus; tum etiam quia manente fide, potest aliquis culpabiliter non habere iudicium illud subleuens de futuro miraculo, vel confidentiam firmam in voluntate, qui actus includuntur etiam, vel connotantur ad fidem miraculorum, quod idem cum proportionem dicendum est de fide, quæ in oratione exigitur in Epistola Iacobi *cap. 1. populi in fide nihil hesitans*: quæ etiam fides includit illos tres actus; de hoc tamen videri potest Suarez *disp. 8. sect. 1.* vbi bene hoc totum explicat, nec potest esse de re controuersia.

SECTIO III.

Proponuntur, & examinantur definitiones fidei.

Postquam præcipua prædicata fidei propolita sunt desumpta ex obiecto formali, obiectiuitate, modo tendendi, & alijs capitibus, facile iam erit fidem definire. Primam definitionem hanc affert, & explicat S. Thomas *quest. 2. art. 1. ex Augustino* de prædestinatione Sanctorum *cap. 1.* dicente, credere nihil aliud esse, quam cum assensione cogitare, quam definitionem, & eius verba conatur S. Thomas ad eum sensum reducere, & explicare genus, & differentiam propriam fidei diuinæ. Et quidem assensio videtur indicare differentiam à cognitione euidenti, quatenus significat aliquam libertatem in adhesionem intellectualem: ideo enim dixit idem Augustinus de spiritu & littera, *cap. 3. 1.* Quid est credere, nisi sentire verum esse, quod dicitur? Alienus itaque, licet non sit actus voluntatis, qui potius dicitur consensus, est tamen actus intellectus ex consensu voluntatis. Vult etiam S. Thomas quod in eadem voce importetur firmitas adhesionis, quæ est propria fidei diuinæ, & per quam differt à fide humana, & opinione; sed teneat, vt tenetur etiam Suarez *disp. 6. sect. 1. num. 9.* & alij, licet hæc acutè dicta sint, non tamen videntur necessaria, nec oportet, quod Augustinus ibi fidem diuinam definire intenderit, sed solum explicare aliquod eius predicatum genericum, quod ad eius intentum sufficiebat. Probatur quippe contra Semipelagianos, non solum progressum, vel augmentum, sed etiam ipsum initium fidei debere in nobis esse ex Dei gratia: quod probat, quia omnis cogitatio bona in iis, quæ pertinent ad salutem, debet esse ex gratia Dei, iuxta illud Pauli ad Philip. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, scilicet, in iis, quæ ad pietatem pertinent, vt explicat Augustinus. Fides autem est cogitatio in iis, quæ ad pietatem pertinent, quia credere est cum assensione cogitare; ergo ad credendum etiam initio requiritur gratia Dei. Ad cuius argumenti vim, & efficaciam non erat necesse afferre adeam quædam fidei definitionem, sed solum illud prædicatum, quod